

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 12. Decipimur specie recti

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

um nostrum , omnisque industria in his evitandis continuo  
occupetur. Ad animæ autem famam , frigus , ægritudi-  
nem & alia mala , omni prorsus sensu caremus , ac si pars  
hominis nobilior & excellentior , quâ vivimus , quâ ratio-  
cinamur , quâ similes Angelis sumus , aut extranea fo-  
ret , aut omnino non esset. Vincit nimis & prævaleret  
pars animalis & hæc fragilis vita plus diligitur , quam sem-  
piterna , nec in alio omnis nostra sollicitudo attentiùs oc-  
cupatur , quam ut homo brevi moriturus aliquanto seriùs  
moriatur. Provenit hoc primùm ex crassâ & supinâ igno-  
rantia , sive potius ex inadvertentia , nesciunt enim ple-  
riique , aut non considerant ad quid conditus sit homo ,  
quem sibi debeat in omni parte vitæ suæ scopum præfi-  
gere & qua via ad illum possit pertingere , sicut scriptum  
est , *Desolatione desolata est omnis terra , quia nullus est*  
*qui recogitet corde.* *Ierem. 12. 11.* Provenit ex multitu-  
dine & sævitia hostium in nos irruentium , quorum  
laqueos nemo potest evadere , nisi à Domino exer-  
cituum conterantur. Cingunt enim nos & obsident ,  
caro fragilis , mundus blandiens & agmina dæmonum  
insidianum. Provenit ex defectu luminis , cuius in  
mundo profunda nocte sepulto maxima inopia est , nec  
illud in oratione ab eo exquirimus , qui solus potest discu-  
ssis tenebris mentem nostram illuminare. Provenit tandem  
ex segnitie & inconstantia , quia virtus in desiderio est &  
non in opere : & cùm ad praxim veniendum est , difficul-  
tate territi recedimus. Et omnes quidem ad Christum  
peruenire vellent , sed post illum ire nemo vult : eo frui  
vellent , sed non imitari : ipsum asse-qui desiderant , sed  
non sequi. Vellent lucrum sine labore coronam sine certa-  
mine. Placent præmia , displicet lucta.

§. X II. *Decipimur specie recti.*

**O**MNIS MUNDI FELICITAS & QUICQUID VULGUS AMAT , AC  
PLURIMI ÆSTIMAT , INSTAR PICTURÆ EST , QUAM SI QUI  
AD SALTUM & EXIGUUM LUMEN PRÆSENTIS TEMPORIS , QUASI

ad lumen lucernæ intueatur , speciem aliquam pulchritudinis habere videtur , quâ allicit & trahit ad se : sed si ad lucem æternitatis , quasi ad radios fulgentissimi solis intraspiciat , clarissimè perspiciet nihil aliud esse , quam deformem & vix adumbratam imaginem & incompositam linearum confusionem . Obscura nimurum est oculis mundi lux Evangelii , quæ in tenebris lucet , sed tenebræ eam non comprehendunt . Hæc sola nos illuminat , ut quid intersit inter bonum & malum , inter verum & apprensens discernere & pretiosum à vili separare valeamus . Per hanc veritatem cognoscimus , quæ permanet in æternum , quæ habitat in interiori homine , instruens nos non hæcere in pulchritudine creaturarum , sed earum nitorem ita percurre , ut ad rerum omnium conditorem per amorem recurramus . Hæc docet nos soli Deo adhærere , omnemque fiduciam in ipso ponere , non in Principibus , non in amicis , nec etiam in fratribus , quia cum singuli propria principia & fines habeant , proprioque commodo studeant , tamdiu nobiscum erunt , quandiu nos utiles credent ad proprios fines consequendos : cum vero ex nobis nullum emolumentum sperabunt , procul à nobis recedent . Cavendum igitur ne species decipiatur nos , ne solarium & felicitatem quæramus in creaturis , quæ non sunt , nec pretium habent nisi ab errore vulgi & ab ignorantia & cœcitate nostra , relicto Deo bonorum omnium fonte , qui solus verè est & extra quem nec quies , nec pax reperiatur . Infelicissimus homo est , qui ab eo recedit qui summè est .

### §. XIII. Humanae vitæ cursus , & perversitas .

**H**occirculo humanæ vitæ cursus irrequieta vertigine perficitur , & circumvolvitur . Edunt homines ; bibunt , dormiunt , rursumque surgunt , ut iterum gulæ , & somno indulgeant . Opes congregant & non est finis acquisitionis eorum . Jucundè vivere volunt , tardius mori . Inter baptismum & extremum halitum congeries quædam & confusio intercedit sacrarum & profanarum actionum

M ij